

Horat. Carm. I. 20.

In iis carminibus, quae Peerlkampius Horatio abiudicavit integra, illud est, quo poeta Maecenatem ad vile vinum Sabinum invitatur apud se potandum. Perperam tamen fecit quod totum damnare quam particulam emendare maluit. Et illa quidem quae de prima et altera stropha monuit, leviora sunt; ea autem quae in tertia stropha offensioni erant viro sagacissimo, perquam gravia censeo. Verba haec sunt:

Caecubum et praelo domitam Caleno

Tu bibes uvam: mea nec Falernae

Temperant vites neque Formiani

Pocula colles.

Ad haec ille: „*Tu bibes uvam*. Cod. Voss et alii *bibis*. Et hoc postulabat sententia, *bibes* flagitabat metrum.“ Quid responderi possit, non video; qua ratione futurum poni poterit, non intelligo. Sensit Mitscherlichius explicandi necessitatem, sed tergiversatur quodammodo, dum interpretatur: „*Tu bibes* non apud me ut ea tecum afferas sed *bibas licet* familiari poetae forma (ut I, 6, 1. I, 7, 1) pro reposita, parata habes vina ista quae bibas, ego non item.“ Ergone primariam notionem, *alias* et *apud te domi* omissam ab Horatio credemus? id tanto incredibilius est, quanto similis est hoc *bibes* illi *potabis*. Quae vero futuri temporis quasi eodem modo usurpati exempla comparavit vir doctissimus, *Laudabunt alii* et *Scriberis Vario* prorsus aliena sunt. An forte *bibes* eo sensu aliquis dictum putabit, quo nostrates futuro abuti solent: *Du wirst wohl Caecuber gewöhnt sein?* i. e. Caecubum te plerumque bibere suspicor. Quod prorsus adhorret a natura futuri Latini! Sed ad sequentia non minus apte Peerlkampius: „Non intelligo vim huius oppositio-

nis: Tu quotidie bibis Caecubum et Calenum, ego habeo nec Falernum nec Formianum.“ Quamquam id ipsum Mitscherlichius admirari videtur tanquam „ornatum e variata oratione.“ Imo prorsus naturae ac venustati repugnat ea variatio, si poeta quum aut *eandem speciem* repetere deberet: *ego nec Caecubum nec Formianum habeo*, aut *genus* substituere: *tam pretiosa vina non habeo*, aliam ac novam potius speciem eiusdem generis suggerit. Quodsi mecum emendaveris:

Caecubum et praelo domitam Caleno

Tum bibes uvam, mea nec Falernae

Temperant vites neque Formiani

Pocula colles.

Non modo illae difficultates evanescent, sed totum etiam carmen alio consilio quam adhuc credebatur, scriptum esse apparebit. Ita enim opinantur haec scripsisse Horatium, ut excusarit vini sui vilitatem, Maecenati apponendi, vel adeo paucitatem, si Mitscherlichio fidem habebis. Non tam angustas mihi fingo Horatii res, vix etiamtum, si ruri in Sabino ipso excipiendum fuisse tam divitem hospitem recte statuatur. Nunc si vere emendavi, sic res habet: Invitatur Maecenas ad id ipsum, ut vinum ab Horatio conditum apud Horatium biberet, vile illud quidem sapore, sed propterea nobile, quod illo anno qui Maecenati memorabilis et alterorum natalium instar esse debebat, conditum fuerat. Hoc vinum quum *modicis* cantharis et quasi honoris causa biberit Maecenas, hospes haud dubie fastidiosus, tum demum pretiosiora vina et palato respondentia Horatius promittit, nominans et ea vinorum nobiliorum genera quae possideat, Caecubum et Calenum, et illa, quae non possideat, Falernum et Formianum.

Lud. Doederlein.
